



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

56 Nuptiarum solemnitates certis anni temporibus prohibitae sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

divinum. de frigid. & males. quia quando ob maleficium non possunt matrimonia consummari, oriuntur iurgia inter conjuges, & quandoque graves lites, & etiam inimicitiae inter consanguineos, quae, quantum fieri potest, debent evitari, cum ad componendum inimicitias videamus, quod Sedes Apostolica in gradibus consanguinitatis solet dispensare, multo magis videtur, quod possint denunciations omitti. Possunt etiam omitti, quando agitur inter graves, & principales personas Ordinariis, & aliis gravibus personis notis, inter quas propterea Ordinarii certo sciunt, nullum extare impedimentum, quominus possint invicem matrimonialiter copulari, quia cum denunciations fieri debeant principaliter, ut detegantur, si extant, impedimenta; & Ordinarius sit certus, nullum obstare impedimentum, cum tunc cesset causa, propter quam denunciations fieri debent, cessare videtur dicti decreti concilii dispositio, cap. & si Christus circa fin. de iurejurand. cap. cum cessante, in princ. de appell. & cap. cum infirmitas. de poenit. & remiss. & non solum ex causis supra expressis possunt omitti denunciations, sed etiam ex aliis Ordinario benevisis, qui has denunciations remittere potest, etiam post matrimonium, & ante illius consummationem, ut in decis. ejusdem sacrae Congreg. super d. cap. 1. de refor. sub tit. verus. & ultimo, sub die 15. Iul. 1596

55 Abbates vero, & commendatarii in eorum Abbatibus, in quibus habent etiam iura Episcopalia, dictas denunciations sine speciali concessione Apostolica remittere non possunt, ut ibidem in decis. sub tit. nullius. seu Farsen. Veronen.

Quamvis enim nuptiarum solemnitates, certis anni temporibus, etiam prohibita reperiantur, cap. non oportet, il. 2. 23. q. 4. & concil. Trid. cap. 10. de reform. matrim. sess. 24. tamen etiam tempore prohibito sine nuptiarum solemnitatibus matrimonium contrahi potest, cum tantum solemnitates, & non matrimonia sint prohibita, glossa in cap. capellanus. in ver. quocunque. extra de fer. & ibi Abb. num. 2. & num. 4. Immo, absque solemnitate nuptiarum, & sine solemnitate translatione in domum his temporibus matrimonium per carnis copulam potest consummari alias legitime celebratum, ut post Caietan. in Summ. in verb. matrimonium, qui contrarium tenentes, ut sine ratione loquentes reprobant, tenet Navar. in cap. 22. de imped. interd. & fer. num. 71. in fin. tom. 3. quae opinio quo ad carnalem copulam fuit reprobata a sacra congreg. conc. Trid. super cap. 10. d. sess. 24. tit. Veronen. ubi pariter declarat, quocunque tempore posse matrimonium contrahi coram paroco: sed quod nuptiarum solemnitates, convivium, translationes ad domum, & carnalis consummatio certis temporibus prohibentur.

58 Contrahi potest matrimonium inter absentes per procuratorem ad hoc specialiter constitutum, quia non sufficeret generale mandatum, nisi speciale sit ad matrimonium contrahendum cum certa persona nominata, c. si. & ibi gl. in verb. speciale. de procu. in 6. l. generali. ff. de rit. nup. Ab. in c. in causis. n. 15. de el. in conf. 114. n. 6. vol. 2

59 Et pluribus ex causis impeditur matrimonium praecipue sequentibus verbis comprehensivis: Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus, disparitas,